

CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES
UNIVERSITY OF TORONTO

M.A. Level Medieval Latin Examination

April 15, 1991

Translate ALL passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is NOT permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. DO NOT USE PENCIL.

1. GORDIAS BECOMES LORD OVER ASIA

Gordias fuit quidam miles qui dum spaciaretur in agro quadam die, circumdatus est aibus infinitis. Quod ipse ammirans exiuit de campo ut interrogaret magos quid hoc significaret. Cui obuiauit quedam puella, dum esset in itinere, que a casu interrogabat eum quid quereret. Cui Gordias omnia narrauit. Illa inquit 'Hoc significat quod tu dominaberis toti Asye.' Vnde Gordias gauisus illam duxit in uxorem. Mortuo autem rege Asye congregati sunt proceres ut regem eligerent, et acceperunt in responsis ut quicumque obuiaret eis sedens in curru rex efficeretur. Qui Gordie obuiabant, et ita factus est rex. Postea autem ipse genuit Midam. Qui Midas, ad honorem currus illius, cui insidebat pater eius cum factus est rex, fecit currum aureum, quem in templo Iouis nodis infinitis et fatalibus alligauit, et fatatum erat quod quicumque nodos illos solueret, in Asya regnaret.

2. NEWS FOR COLCU

Benedicto magistro et pio patri Colcu Alcuine humilis leuita salutem.

Audita sanitate et prosperitate paternitatis uestre totis ut fateor gauisus sum uisceribus. Et quia curiosum te nostri itineris putauit uel rerum in mundo nuper gestarum, per hos rusticitatis mee litteras tue prouidentie innotescere curauit seu audita seu uisa.

Primo sciat dilectio tua quod miserante Deo sancta eius ecclesia in partibus Europe pacem habet, proficit, et crescit, nam antiqui Saxones et omnes Frisonum populi, instante rege Karolo alios premiis et alios minis sollicitante, ad fidem Christi conuersi sunt. Sed anno transacto idem rex cum exercitu inruit super Sclauos, quos nos Uionudos dicimus, eosque sue subegit dicioni.

Greci uero tertio anno cum classe uenerunt in Italiam et, a ducibus regis prefati uicti, fugerunt ad naues. Quattuor milia ex illis occisi et mille captiui feruntur.

Similiter at Auari, quos nos Hunos dicimus, exarserunt in Italiam et a Christianis superati domum cum obprobrio reuersi sunt, necnon et super Baugariam ruerunt. Qui et ipsi ab exercitu Christiano superati et dispersi sunt.

3. A LONDON GIRL CURED BY ST. ERKENWALD

Similis ferme curatio facta est in puella quadam lundoniensi. Multis enim diebus languebat febre fatigata, nec ullo genere medendi potuit restaurari. Sed dominus noster clementissimus pater, qui filios suos interdum patrono uerbere corripit et ad se reuocat, modo blanditur et modo sanat, huiusmodi remedium ei conferre dignatus est.

Nam dilectus suus erkenuwaldus noctu illi uisus est astitisse, et in hunc modum sibi sermocinari. "Diu excocta es in fornace huius temptationis, non quod aliquo criminali peccato uitam tuam commaculaueris, sed ut in futuro iuuenilem petulantiam

uirga correctionis studeas edomare, moresque maturos imitari. Crastina die accelera sepulchrum meum uisitare, ibique oratura dominum ihesum christum ab hac debilitatis catena liberaberis."

Illa quidem, tremebunda cum uellet nomen eius percunctari, sed nimius pauor ipsam elinguem redderet, hoc seruus dei sentiens subiecit, "Erkenualdus nuncupor, habens sepulchrum in dextro latere altaris sancte Fidis uirginis et martyris. Quo cum perueneris credens firmiter, salua eris."

4. A VERSE PARAPHRASE OF THE SONG OF SONGS

Quis est hio qui pulsat ad ostium,
noctis rumpens somnium?
me vocat: 'o virginum pulcherrima,
soror, coniux, gemma splendidissima!
cito surgens aperi, dulcissima.

Ego sum summi regis filius,
primus et novissimus;
qui de caelis in has ueni tenebras,
liberare captivorum animas:
passus mortem et multas iniurias.'

Mox ego dereliqui lectulum,
cucurri ad pessulum:
ut dilecto tota domus pateat,
et mens mea plenissime videat
quem uidere maxime desiderat.

At ille iam inde transierat,
ostium reliquerat.
quid ergo, miserrima, quid facerem?
lacrimando sum secuta iuuenem,
manus cuius plasmaverunt hominem.

Vigiles urbis invenerunt me,
exspoliaverunt me,
abstulerunt et dederunt pallium,
cantaverunt mihi novum canticum
quo in regis inducor palatium.